Quelle: http://manuscripta.at/?ID=459
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quod non vult. Et hoc beneplacitum universale et aeternum est. et omnia quae fiunt temporibus suis parent simplici nutu iusticiae suae approbat ut in effectum procedant et fiant. perficitur et consummatur. et manifestatur duobus his quae subsecuntur in tempore. permissione et operatione divina. quae ipsa rerum omnium quae effectum capiunt. vel subsistunt universitatem complectuntur. et respondent illi quod unum est in utroque; et in dissimili ad dissimilia omnia beneplaciti creatoris. Et propterea sunt ipsa duae voluntates dicuntur. et est voluntas dei beneplacitum eius. et voluntas eius operatio eius. et voluntas eius permissio eius.

Quod duplex sit discretio voluntatis dei. in beneplacito eius. et in signo beneplaciti eius. Quanta est in praeceptione. Quanta in prohibitione.

v. Et sequitur adhuc praeceptum eius. et prohibitio eius. et dicitur utraque voluntas eius. quia cum quid fit praecipit. monstrat se velle ut fiat. et cum quid fit prohibet. monstrat se velle ut non fiat. Et ideo dicuntur haec similiter voluntas eius. quae signa quaedam sunt voluntatis eius. sicut operatio eius. et permissio eius. sed dissimiliter et alio quodam modo significantia voluntatem eius. et signa ex parte.

Quod non sunt similia signa aeterni beneplaciti praeceptio et prohibitio sicut operatio et permissio.

vi. Non enim sicut operatio eius et permissio eius per omnia tenduntur: quia sine his non fit aliquid. sic et praeceptum eius et prohibitio eius. sed ad rationalem creaturam dirigitur: haec duo tantum. quae sola capax est praecepti et prohibitionis causa sicut istam rationem ad utrumque; Itaque signa sunt ex parte haec quae non pertinent ad omnia. neque universaliter summam voluntatem et quae in ea sunt omnia educunt ad manifestationem sicut operatio et permissio. sed ea tantum quae ad ipsos spectant. quae fiunt haec. hoc est praeceptum et prohibitio significant. quoniam sunt in summa voluntate et beneplacito aeterno. Neque similia signa sunt haec. quemadmodum operatio et permissio eius certa sunt et vera signa beneplaciti aeterni. Haec autem hoc est praeceptum et prohibitio non omnino certum faciunt. quod sit in beneplacito aeterno. donec operatione vel permissione probetur. cum factum fuerit. Tunc enim certum est cum hoc fecerit deus sive permiserit ut fiat et factum fuerit. quod in beneplacito aeterno ita fuit ut esset ut factum est. sed quod voluntarie fecit sive permisit ut fieret quod factum est. quod ita bonum erat esse ut est. Cum autem praeceptum fuerit vel prohibitum aliquid. non dum constat ut hoc quod de ipso diffinitum sit in beneplacito aeterno. donec illud rerum effectus in evidentiam educat. sive operatione sive permissione ut bonum erat esse. et beneplacitum quod futurum erat antequam esset.

Praeceptum autem et prohibitio innuunt tantum. quod ita in voluntate est iubentis. ut fiat sive non fiat. et demonstrationem faciunt quod iustum et pium est non aliud esse illud cum fit. et si aliud est in illo a quo aliud fit. Et praecipitur saepe ut fiat quod futurum non est. nec fiet. et prohibetur ut non fiat quod futurum est. et fiet. et non est in beneplacito dei non hoc solum ut sit quod fiet. quoniam bonum ita est esse. et non aliud quod fiet. sive operatione dei quod bonum est. sive permissione quod malum est. quod totum esse bonum est. Et non respondet praeceptum eius